

Qvæstio De Testamentis inter Liberos

Pomorski, Stanisław (1581–1644)

Starodruk, Biblioteka Jagiellońska, St. Dr. 15720 I

Odczyt: Kamil Sorka

Qvæstio De Testam[entis] inter Liberos

C. De Testamentis

Juncto c. Relatum. primo.

DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS

V. Testamentum imperfectum factum, a patre inter liberos, etiamsi liberi sint legitimati, dum imperfectio in substantia testamenti non sit, sustineri iure valeat; nec ne?

CONCLUSIO I.

Testamentum imperfectum factum a patre inter liberos, iure sustinetur.

COROLLARIA

1. *Qui succedunt ex testamento imperfecto inter liberos, non succedunt ab intestato.*
2. *Testamentum inter liberos imperfectum, clausulam codicillarem vel vim eius continet.*
3. *Quæ solennitates aliàs in testamento perfecto requiruntur, et quæ qualitates eius vetitæ; eæ in imperfecto nec requiruntur, nec, si vetitæ adhibeantur, illud vitiant., quò innumerabilia testamentorum referri possunt.*
4. *Pater non potest per ciphras testamentum inter liberos condere, potissimum si ciphræ sint in verbis dispositivis, et adscriptione sortium.*
5. *Nendum in scriptis, sed etiam nuncupativè, nec tantum nuncupativè, sed etiam nutibus, si testator sit mutus, testamentum inter liberos validè fit; In scriptis verò quæcunque scheda scripta vel subscripta à testatore sufficit, dum ea voluntas et factum eius constet.*

CONCLUSIO II.

Testamentum imperfectum, ut favore liberorum sustinetur, ita liberorum personam non excedit.

COROLLARIA

1. *Extraneus si in testamento inter liberos adscribatur, respectu eius testamentum non subsistit; non vitiatur tamen per extranei scriptiōnem quoad liberos.*
2. *Liberorum nomine filios, filias, immo nepotes, et alios descendentes contineri dubium non est.*
3. *An pater, mater à filio testamento imperfecto instituti gaudeant privilegiis inter liberos? Problema facio.*
4. *Testamentum imperfectum ad pias causas sustinetur favore piæ causæ, alioque iure quam ex dispositione L. Nostrae.*
5. *Legitimati succedunt ex imperfecto patri, naturales matri; cæteros legibus magis atque magis improbatos et notatos, reiicio.*

CONCLUSIO III.

Si defectus sit in testamento essentialis, non subsistit illud factum inter liberos.

COROLLARIA.

1. *Defectus voluntatis in testatore, extra omne dubium, testamentum imperfectum inter liberos invalidum facit.*
2. *Si pater animo testandi inter liberos inchoârit testamentum, nec perfecerit, quia scilicet non ordinavit de aliqua portione bonorum, aliové legato, testamentum ita imperfectum non sustineri arbitramur.*
3. *Voluntas patris quamvis benè contineri valeat testamento minus solenni; si tamen in dubium vocetur, probari debet instrumento solenni.*
4. *Si pater filium existentem in potestate sua nec hæredem instituerit nec exhæredaverit, testamentum inter liberos non subsistit.*
5. *Posse tamen patrem testamento inter liberos minus uni, plus alteri filio dare: dummodo id titulo institutionis fiat, et in terminis iuris, extra omnem difficultatem, credimus.*

Laus Deo, Virginique Matri.

[hasła: testament, dziedzic zewnętrzny, zstępny, klauzula kodycylarna, wadliwość testamentu, dziecko, wnuk, ojciec, matka, zapis pobożny, wola testatora, władza ojcowska, ustanowienie dziedzica, wydziedziczenie]